

Q. F. F. S.

SPLENDIDUM ET AMPLISSIMUM ÆDIFICIUM,  
QUOD

SERENISSIMUS PRINCEPS AC DOMINUS,

D O M I N U S

CAROLUS WILHELMUS  
FRIDERICUS,

MARGGRAFIUS BRANDENBURGICUS, DUX  
BORUSSIÆ, MAGDEBURGI, STETINI, POMERANIÆ, CAS-  
SUBIÆ, VANDALORUM, MECLENBURGI, SILESIÆ ET CROS-  
NÆ; BURGGRAFIUS NORIMBERGÆ; PRINCEPS HALBERSTA-  
DII, MINDÆ, CAMINI, VANDALORUM, SVERINI ET RACE-  
BURGI, COMES HOHENZOLLERÆ ET SVERINI; DOMI-  
NUS TERRARUM ROSTOCHII ET STAR-  
GARDIÆ, &c. &c.

PRINCEPS AC DOMINUS NOSTER  
CLEMENTISSIMUS,

UT SEDES ESSET BONARUM LITERARUM  
ELEGANTISSIMA,

IN URBE ONOLDINA CONDI ET DE SUO CELSISSIMO  
NOMINE

*CAROLINUM ILLUSTRÉ*

DICI JUSSIT,

a. d. XII. JUN. MDCCXXXVII. RITE INAUGURANDUM  
NUNCIAT

PRÆMISSA COMMENTATIUNCULA  
DE STUDIIS CHRISTI LITERARIIS.

M. GEORGIUS LUDOVICUS OEDERUS,  
GYMNASII RECTOR, DECAN. FEUCHTWANG, DESIGN.

ONOLDI, TYPIS TYPOGRAPHIÆ AULICÆ.

Coll. diss. A  
5, 15

a. LXXXV. 15.



A/Ω.



Udos literarios non in decoribus modo civitatis bene constitutæ, sed in ipsis etiam fundamentis censendos esse, ita omnium ætatum sapientissimi homines agnoverunt, ut optimus quisque Principum de Scholis ordinandis & tuendis maxime cogitaret. Hinc factum, ut *inclyti Principes de augusta stirpe Brandenburgica*, magnam partem curarum in emporia & domicilia bonarum literarum condenda, restauranda quoque, quoties injuria temporum aliquid collapsum est, & amplificanda, converterent. Id Onoldi & factum dudum esse, maxime postquam divinorum Principum *Georgii Pii & Georgii Friderici* sancta industria sacrorum emendatio cœpta & confecta est, nemo est in Germania nostra qui ignoret, & nunc idem fieri hodiernus dies luculento argumento docet, quo conditum à Serenissimo Principe ac Domino

CAROLO WILHELMO FRIDERICO,

*Marggrafio Brandenburg. Duce Borussia, &c.* Domino nostro clementissimo, *amplissimum edificium*, quod splendore ac firmitate structuræ, reliquas per Germaniam Scholas omnes vincere videtur, inaugurandum est. Quod cum nunciandum susceperem, jucunda animum meum cogitatio subiit de ipso sanctissimo Servatore, Scholarum maximo amatore, quem cum nemo dubitet sæpe in Scholis Judæorum docuisse an & dederit literis operam discendis, altioris videtur indaginis quæstio esse, in quam paullum excurrere lectori meo haud puto esse molestum.

*Paull. Christian. Hilscherus*, vir doctiss. *Tom. V. Miscellaneor. Lipsien- sium* inseri curavit dissertatiunculam *de Studiis Christi* αρεσ γεαφης. Quæ

Sächs.  
Landes-  
Bibl.

Quæ ita placuit celeberrimo, nunc beato, *J. A. Fabricio*, ut eam parte *tertia Codic. Apocryphi N. T.* p. 424. ff. repeteret. Hinc aliqua mihi deinceps usui futura excerpere lubet. „ §. 3. Non diffitendum, quin, Christus facultatem legendi textum biblicum, utilesque libros more, modoque ea ætate recepto, citra miraculum, quod, secus si esset, sacra, scriptura forte non reticuiisset, sibi acquisiuerit. Atque hinc non modo in colloquiis cum Phariseis & Sadducæis ad sacrum codicem provocat, sed & ipse aliquando in synagoga publicè prælegit, *Luc. IV, 16.* „ §. 6. Cum Christus non in Judæa solum sed confiniis quoque regionis versaretur & Hierosolymis etiam cum Græcis Romanisque, proselytis nempe, publicanis, militibus, ipso denique Pilato, sine interprete loqueretur, admodum fit verisimile, eum *Græca* pariter ac *Latina*, linguæ non fuisse rudem. Num vero easdem usu & exercitio, an vero, præceptis didicerit? non juvat curiosius rimari. „ Porro §. 7. Sed nec, studiorum, quæ tum inter eruditos vigeant, expertem fuisse, ex, disputationibus cum Phariseis & Sadducæis elucet. Passim enim ad, traditiones veterum opinionesque sectarum non adeo in vulgus notas, diserte provocat, quarum rerum cognitionem tam ex familiari conversatione cum ipsis, quam lectione scriptorum, qui tunc maxime volebantur, acquisivisse, propemodum verisimile est. Paulo post pergit, *Hilscherus*: Sit ergo, quod ad nullius *Gemalielis* pedes sederit, trivisse, tamen eum Rabbiorum scripta, quid vetat dicere? Accedit & illud, quod non vulgo solum, sed ab ipsis etiam Phariseis & Scribis, titulo, eruditus Judæorum fere proprio, *Rabbi* salutaretur, & more Magistrorum discipulos eligeret, populumque etiam in Synagogis docendi potestatem haberet. „

Hæc *Hilscheri*, quæ recitanda duxi, complectuntur omnia, quæ dicturus ego fueram, ut demonstrarem, sanctissimum Dominum nostrum more ingenuorum puerorum in Judaico populo, quamquam tenuis fortuna fuit *Josephi nutritoris*, tingi literis, neque id leviter voluisse, ut ut fabulæ sint, quæcunque in libro de *Infantia JESU* alibique de nomine *Præceptorum Domini*, item de *ratione discendi* circumferuntur. Ceterum quæ de *Græca Romanaque* linguæ usu habet vir doctus, mea non fecerim. Cum *militibus* nescio an egerit aliquando Christus, quod quidem *Joannes Baptista* fecit; nisi quod de Capernaitico centurione extat *Matth. VIII.* verum hunc proselytum fuisse & Judaicorum sacrorum, quidni & linguæ participem vix quisquam dubitat. Cum Pilato an sine interprete collocutus sit, haud liquet, in Scholis autem Judæorum exter-

nas linguas tum traditas negat *Josephus* in calce *vicesimi libri Antiquitatum Judaicarum*, quamquam ipse, sed raro in sua gente Ebræa exemplo, græcas literas affecutus est, hæcenus ut non incommode scriberet, τὸν ἐλληνικῶν δὲ γραμμάτων ἐσπῆδασα μεταχεῖν, τὴν γραμματικὴν ἐμπειρίαν ἀναλαβὼν τὴν δὲ περὶ τὴν προφορὰν ἀκριβοῦσαν πάτριος ἐκώλυσε συνήθεια. h. e. *Græcæ nicis literis dedi operam, affecutus grammaticam peritiam, verum accuratorem in pronunciando mos patrius vetuit.*

Quod huic assertioni videtur opponi posse, Matth. XIII, 54. ff. Marc. VI, 1. ff. facile tollitur. *Clar. Hilscherus* l. c. §. 8. sic respondit: „Cum „jam per plures annos abfuisset *JESUS*, & in urbe *Capernaum*, quæ tum „quam maxime florebat, sedem posuisset, homines illi, ob loci distantiam, „nullam transactæ hæcenus vitæ cognitionem habentes, de studiis ipsius „ex vili parentum & generis conditione ineptissime judicant, indigni igitur, „tur, qui in hac causa admittantur arbitri. „ Hæc fateor mihi non penitus probari. Tempus, quo demigraverat Dominus *Capernaumum*, non fuit aliquot annorum, sed exiguum. Verum factuisse; publicè constabat, tum nihil didicisse Christum in Scholis Magistrorum librisve, nam docendo & obeundo terras Israëliticas, & faciendis miraculis tantum non omne tempus exegit. Itaque, quicquid ponimus Christum more aliorum puerorum & adolescentum Judaicorum didicisse, oportet factum esse, antequam *Nazarethæ* ad capeffendum munus suum publicum discesserat. Mallem ergo sic respondere: Non negant *Nazarethani*, *JESUM* hunc olim dedisse literis operam. Sed inusitatam vim verborum cum dono miracula patrandi, stupent, & in homine, quem de plebe unum, quamquam cum ceteris eruditum, putabant, credere nolunt.

Magis obstare dixerit aliquis *Jo. VII, 15*. Nam, si literas non didicit Christus, non videntur stare posse, quæ cum *Hilschero* modo asseruimus. Sed nec potuerunt Judæi hæc de Christo impune & temere mentiri, cum vita à puero acta *Galilæis* necessario esset cognita. *Frid. Adolph. Lampius*, vir doctissimus, ita arbitratur, domi quidem, tum & in trivialibus Scholis Christum eruditum esse, minime vero in academiis quarum alumnos demum *litteratos* seu *discipulos sapientum* dictos perhibet. Huic maxime obstat, quod *Hilscherus* rectè observavit, Christo nomen *Rabbi* vulgo datum, quod, si ne *discipulus* quidem *sapientum* habitus esset, non videtur fieri potuisse, qua de re *Campegius Vitringa de Synagoga vetere*, L. III. c. 7. legi meretur. De *Scholarum & Academiarum* discrimine, quæ nos *Lampius* docet, vereor, ne oleant recentiora tempora, quibus apud Judæos infanus amor *Talmudis & Gemaræ* potissimum invaluit, cujus tra-

Etatio

Etatio tanti æstimata, ut scripturæ sacræ lectio & interpretatio fere for-  
deret, hanc trivialibus Scholis, at illam illustrioribus vindicarunt, quas  
בְּתֵי מְדֻרָּשׁוֹת & יְשִׁבּוֹת בְּתֵי רַבָּנִי item salutarunt. Quod uberius  
exponit, quem modo laudavi, *Vitringa*, l. c. l. i. c. 5. sed, ut dixi, non  
ad Christi sed ad recentiora tempora hæc omnia pertinere videntur.

Alio igitur modo procedendum censeo, quam qui placuit *Lampio*.  
Ante omnia in sensum vocum singularum inquirendum. *Γράμματα* non  
dubitat *Lampius* sacras literas esse, saltem præcipuè, ut *Jo. V, 47*. Sed, ut  
taceam minime mirabile videri potuisse Judæis, recitari à Christo Scriptu-  
ræ S. vulgo tum, & ab omnibus pueris legi solitæ, dicta; Usus vocis in  
ipsis etiam Novi Testamenti tabulis, non favet opinioni *Lampii*. Locus  
*Joannis cap. V, 47*. huc non pertinet. Neque enim laudatur Scriptura sa-  
cra voce *γράμματα*, sed *librorum Mosis* diserta mentio injicitur, *Act.*  
*XXVI, 24*. *Festus Paullum*, non tam, quod Scripturam s. cujus ipse *Fe-*  
*stus* nullam partem videtur attigisse, nimio studio legisset, quam quod  
literis omnis generis incubuisset, justo acrius *emota mentis* arguit. Et,  
si *Paullus* credidisset, vocem *γράμματα* vulgo significare libros sacros  
prophetarum, non addidisset *2. Tim. III, 15*. *ἱερά, sacra*, quod vocabu-  
lum addendum fuit, ne quis putaret saluberrimos fructus, quos Apo-  
stolus Scripturæ sacræ lectioni tribuit, pertinere ad alias disciplinas. Pro-  
babilius igitur est *γράμματα* & hic ex Judæorum loquentium mente esse,  
quod nos dicimus *literaturam*. Nam, quamquam homines de plebe  
verba scripturæ memoriæ mandarunt egregie, vix tamen, nisi crebro usu  
librorum aliorum & aliquot artium adjuti, commode verba facere in con-  
cione posse, censentur. Deinde, tota phrasis *γράμματα μανθάνειν*, est *lite-*  
*ris*, cujuscunque illæ generis sint, *dare operam*. *Aelian. V. H. VII. 15*. nar-  
rat *Mitylenenses* sociis, qui defecerant, hanc pœnam irrogasse, ut liberos  
eorum doceri literas & artes liberales non liceret. *τιμωρίαν ἐκείνην ἐπέβησαν,*  
*γράμματα μὴ μανθάνειν τὰς παῖδας αὐτῶν, μηδὲ μουσικὴν διδάσκειν.*

Ipsa vero *commatis 15*. verba: *Πῶς ἔτος γράμματα οἶδε μὴ μεμαθη-*  
*κῶς* triplici modo explicari possunt. Primum sic; Hunc vero putatis lite-  
ras nosse idoneique aliquid proferre posse in medium, qui nihil unquam  
didicit? Hac ratione Judæi censendi forent contempsisse Christum, & pro  
quisquiliis habuisse, quicquid diceret; fieri enim non posse, ut pulchra &  
utilia doceat, nisi qui in Scholis sapientum ætatem trivisset: Si cui hæc in-  
terpretatio arrideat, *admiratio* Judæorum ita erit explicanda, ut non  
suavitatem & majestatem doctrinæ in Christo, sed audaciam, qua in tan-  
ta imperitia tamen docendi conatum sumisset, admirati fuerint. Deinde

verba admittunt hunc sensum, ut agnoscat quidem, Christum perite & docte disputasse, sed contradicatur illis, qui eum adhuc ἀναλφάβητον criminati essent, ut fere sectatores Christi rudes literarum & de fece populi, atque ut Judæi loqui solent, רָאָה אֵיךָ dicebantur; quasi tu dices: Minime credibile est, hunc tam docte tam suaviter posse verba facere, nisi præclara disciplina usus esset. Denique in hunc modum: Quis credidisset ita eleganter dicere posse de rebus abstrusis, qui talia numquam didicit?

Quænam harum trium explicationum præferenda sit, dignum est consideratione, nam omnes veri aliquam speciem habent. Mihi, postquam aliquamdiu meditatus sum, ita videtur: Admirationem *majestatis in docendo* potius fuisse, nam constat obstupuisse homines Christi loquentis ἐνέργειαν & sapientiam; *audaciam* vero, quamquam illos homines minime puduit conviciari, non legimus Domino exprobratam. Alteram explicationem fateor magis esse probabilem: admirabundi enim solent alios, qui conati fuerant contraria ipsis persuadere, hoc modo vituperare; commodusque adeo sensus foret: Cur perhibuistis hunc indoctum virum esse, cum non videatur tanta eruditio in hominem, qui literis non dedit operam, cadere. Sed & huic obstat, quod nusquam legimus Christo *imperitiam* objectam, ut adeo ista criminatio nec potuerit hoc loco refelli. Nec dici potest, cur Christus responderit, *doctrinam haud suam esse*, quæ res indicio est, sermonem Domino cum iis esse, qui Christum arguerent commentorum ex ingenio proprio depromptorum. Restat tertia sententia plerisque arridens, sed & huic obstat, quod *rudem literarum* fuisse Christum, sive libris non dedisse operam, non modo vere non potuit dici, sed nec videtur à quoquam exprobratum. Neque satis cohærere dixeris responsum Christi v. 16. 17. Si enim dulcia eloquia Christi in Scholis non eruditi, mirati essent, cur hoc potissimum ostendit, se à patre accepisse omnia, ipsos id cognituros, modo vellent obsequi voluntati patris. Nam hæc pertinent ad homines, qui vituperassent Christum, non, qui admirati essent.

Quæ cum ita sint, *tertiam* quidem sententiam mihi placere ajo, sed ita, ut vox μεμαθηκώς, non de iis, quæ in Scholis didicisset, vel non didicisset Christus, accipiantur, sed quæ aliunde quocumque modo hausisset. Nimirum exprobrant Christo Judæi (nam mentem eorum minime bonam fuisse, responsio docet) ipsum quidem tradere res abstrusissimas, sed, cum neminem possit auctorem laudare, unde ea accepisset, suspicionis plena esse omnia. Admirati sunt aliqua in Christo, sed non ideo & pro-  
barunt

barunt, potius ab ipso malo genio profecta esse suspicati videntur. Hoc modo aptissima est Christi responsio, *se accepisse dogmata sua à patre.*

Quæ ut rectius intelligantur, observandum, verbum *μανθάνειν* haud raro usurpari, quando aliquis non in Schola & à Magistro, sed quocunque modo aliqua accepit, v. g. *Herodian. IV. 6. 14. ὡς μανθάνων ὁ Ἀλέξανδρος καὶ ἔτος ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ διέτριβεν.* Quibus intellectis *Alexander Antiochia commorabatur. Josephus Antiquit. Judaic. L. V. c. X. p. 162. Α. μανθόντες δὲ τῶν γαζέων οἱ ἀρχόντες τὴν αὐτόθεν παρθεσίαν αὐτῆ κ. τ. λ. Gazæorum principes autem, cum præsentiam ejus cognossent, &c.* Maxime vero huc pertinet *Aristotelis locus, quo spero maxime illustratum iri nostrum locum. Dereprehens. Sophistarum. L. I. c. 3. Tom. I. opp. p. m. 175. Εἰσὶ παρὰ μὲν τὴν ὀμωνυμίαν οἱ τοῖστοι τῶν λόγων. οἷον, ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι. τὰ γὰρ ἀποσοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ Γραμματικοί. τὸ γὰρ μανθάνειν ὀμωνυμίον, τὸ τε ξυνιέναι χρώμενον τῇ ἐπισήμῃ, καὶ τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπισήμην.* Ex nominis ambiguitate hæc genera captionum ducuntur. v. g. *discunt qui jam sciunt. Nam quæ memoriter recitanda sunt, ea discunt Grammatici. Homonymum est μανθάνειν. Interdum est, intelligere, cum aliquis fruitur notitia; Interdum idem significat, quod discere seu parare rei notitiam.* Germani nostri eodem modo dicunt: *Eine Rede, eine Predigt lernen, cum sermo jam cognitus factusque memoriæ imprimendus est. Mirantur adeo Judæi, quamquam malevoli, promptitudinem eloquii in Christo, maxime rerum tam gravium, cum tamen, quæ recitanda forent, non edidicisset ante. Commode autem Christus respondet: se eloqui res ab æterno in consilio divino meditatas.*

Frequentavit ergo Scholas cum docendo tum discendo optimus Servator, atque hæc ut pleraque alia generi humano salutaria instituta suo consecravat exemplo. Quæ res dici non potest quam sit jucunda hominibus in pulvere scholastico rem suam strenue agentibus. Faxit idem hic hominum maximus & redemptor & doctor, ut ipsius vestigia ubique premamus, atque ut sint Scholæ, quod debent esse, pietatis & bonarum artium officinæ, seminaria virentia hominum, quorum opera paullo post res & sacra & civilis bene & salutariter administratur. Ea felicitas ut huic splendidæ & amplissimæ Scholæ obtingat perpetuaque sit, ut patriæ nostræ decus merito semperque appellari queat, ut adolescentes probi doctique subinde hinc prodeant, ut quæ votorum summa est, veritas divina accurate & pie in his acroteriis doceatur discaturque, tum & literarum reliquarum cultura quotidie efflorescat feliciter, nostrum est quotidianis precibus à supremo Numine petere, quod & publice his diebus faciendum, atque *illustre hoc Carolinum, quod felix faustum-*  
*que*

que sit, rite pieque initiandum nuncio. Igitur, hodie postquam signum campana Gymnasii bis datum fuerit, præsente, jussu *Serenissimi Principis, Consiliariorum intimorum Sanctissimo Senatu cum illustrissimo Præside suo*, dicendi initium faciet *Vir perillustris & generosissimus*

JO. CONRAD, de SCHEMEL,


*Serenissimi Domini nostri à consiliis intimis, Senatus Ecclesiastici Præsides eminentissimus*; qui gravi oratione *consilium & voluntatem Principis* exponet. Cui succincto sermone *Ego* respondebo, atque ut par est venerabunda mente & grata, tantum beneficium in Scholam nostram collatum cum acceptabo tum laudabo.

Quo factò Cathedram conscendet *Vir max. rev. & clariss. M. JO. GEORG. GERETUS V. D. M.* Gymnasii nostri Conrector meritissimus, qui de *summis augustæ Domus-Onoldo-Brandenburgicæ meritis in remliterariam* verba facere constituit,

Cras autem h. e. XIII. *Jun.* honestissimi & eximii juvenes quatuor prodibunt pro suo quisque captu gaudia (quæ utinam non essent interpellata nupero acerbissimo funere) & vota publica testificaturi. In his JO. CHRISTOPH. TISCHINGERUS *Crailsheim.* causas gaudendi vernaculo soluto Sermone docebit. JO. HENRICUS TILINGUS, *Stadensis*, carmine germanico demonstrare fataget, *nil principe viro dignius esse, quam rei sacræ & literariæ curam.* JO. GEORG. SAM. BERNHOLDUS *Wilhermsdorf.* recitabit carmen latinum, cujus argumentum est, *Gymnasium Carolinum è duabus Scholis coalitum clarius nunc exsplendescere.* Denique JO. WILHELMUS KIRCHMAJERUS, *Langenzem.* oratione latina hujus diei solemnibus finem imponet.

Tertius autem dies, nempe XIV. *Jun.* publicæ disputationi destinatus est, qua Schediasma de *vexato loco 2. Cor. XII. 1-9.* me Præside, Filius meus GEORG. WILHELM. OEDERUS, pro virili parte tueri conabitur. Tum examine factò promotio discentium in Classes altiores instituetur. Adeste, quod demisse humaniterque rogo ac contendendo, nobisque aures faventes commodate, Viri illustribus munerum, natalium, & meritorum decoribus suspiciendi, quibus patria nostra gaudet, cæterique omnes Lycei nostri Fautores & amici, juvate conatus nostros, & vivite felices! P. P. Onoldi d, XII. Junii,

MDCCLXXXVII.



Coll. diss. A. 85, misc. 15